



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 1. An saltem intellectu possit conspici hoc corpus, & quomodo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Dices Secundò, Si lux vel color cõtraheretur in punctum, & tunc continuè multiplicaretur per replicationem sui in aliquo subiecto vel spatio, haberet rationem continui: ergo posset videri: atqui sic fit in hoc Sacramento: ergo &c. Respondeo, Non haberet rationem continui materialis, & quãtitatiui, quod per partes diffunditur; sed spiritalis, quod per se totum diffunditur, ita vt totum fit in singulis punctis: vnde non esset visibilis.

DVBIVM I.

An saltem intellectu possit conspici hoc Corpus & quomodo?

47
Christus
hic videtur
à beatis
supernaturaliter.

Respondeo, & Dico Primò, Dubitandum non est, quin lumine supernaturali, tum in diuinã essentiã per cognitionem matutinam; tum extra per cognitionem vespertinam, possit hoc Corpus cum suo modo existendi intuitiue cerni.

48

Dico Secundò, Etsi lumine naturali non possit hic modus existendi perfectè cognosci ab Angelo; probabile tamen est, posse ipsum Corpus Christi cerni ab illo in Eucharistia.

Prior pars, Est D. Thomã & cõmunis sententia Doctõrũ: quia hic modus existendi Corporis Christi, in sua ratione est omnino supernaturalis; ac proinde supra naturalem cognitionem Angelicam. Potest tamen hic modus imperfectè cognosci ex analogia eius modi, quo existunt res spirituales; qui modus Angelo satis perspectus est.

49
Et naturaliter
cognoscitur ab
Angelis.

Altera pars est Scoti d. 10. q. 8. Oceami, & Gabrieli lect. 45. pro qua aliquot rationes adfert Scotus. Probatur Primò, Quia Angelus naturaliter facillè videt ibi non esse substantiam panis; & accidentia sine subiecto conseruari; vnde facillè colligit ibi esse Corpus Christi. Sed hæc ratio solum probat, illud coniecturã cognosci, supposita generali fide, vel cognitione huius mysterij; non autè cognosci intuitiue. Vnde Probatur Secundò: Corpus Christi est quiddã naturaliter ab Angelo intelligibile: Neque hoc tollitur per illum modum indiuisibilem existendi; nam hic modus est illi corpori accidentarius, & quasi superueniens illius substantiã; vnde non potest auferre id, quod prius naturã, & per se, corpori conuenit. Neque indiuisibilitas impedit; quia hic modus existendi non repugnat obiecto intellectus Angelici, sicut repugnat obiecto sensus. Neque etiam necesse est illum modum intuitiue cognosci; satis est cognosci per analogiam alterius modi naturalis.

Et demon-
stratur.

Ex his sequitur, etiam Demones Christi presentiam in Eucharistia naturaliter posse cognoscere. Sed ex hoc adpectu non accipiunt aliquam voluptatem, sed summum horrorem, sicut reus ex presentia Iudicis.

DVBIVM II.

Utrum Christus possit videre in Sacramento oculo corporali ea quæ circumstantiã hostiam, vel alias operationes sensuum, aut intellectus habere?

50
Christus
hic naturaliter
non potest vi
sensibus.

Respondeo, & Dico Primò, Naturaliter non potest vi sensibus exterioribus, vel interioribus in Eucharistia, Ratio est, Quia ad hoc requiritur instrumentorum extensio certaque conformatio, & spirituum animalium cooperatio.

Dico Secundò, Ob eandem causam non potest

naturaliter intelligere cum conversione ad phantasmata; id est, cooperante phantasia.

Potest
naturaliter
intelligere
absque
conversione
ad
phantasma.

Dico Tertiò, Videtur tamen naturaliter posse elicere actus intellectus nõ dependentes villo modo ab vso phantasia. Ratio est, Quia hi sunt merè spirituales, nec dependent à corporali figurã, vel cõformatione instrumentorum: modus enim ille existendi indiuisibiliter, est illis actibus naturalis. Idem dicendum de actibus voluntatis. Dices, Vis creata non potest vllum actum vel effectum replicare infinities, sic vt illa replicationes sint naturaliter separabiles. Respondeo, verum est: Vnde hæc intellectio non poterit elici naturaliter sub omnibus punctis hostiã, sicut Corpus Christi & Anima sub omnibus punctis ponitur; sed sub aliquo puncto vel particulã, vbi Christo placuerit.

51
Et quini-
tus videtur
& audire
Sacerdotis
&c.

Dico Quarto, Valdè probabile est, Christum in Eucharistia virtute diuina oculo corporali videre Sacerdotè, & alios presentes; audire eius vocem; & reliqua, Probatur Primò, Quia cum Dominus per hoc Sacramentum nobiscum habitet corporaliter; omnino decebat, vt haberet aliquod nobiscum corporale commercium per sensus corporales, neque ibi esset modo stupido, & mortuo. Secundò, Quia Deo id facillimũ est, vel dando species indiuisibiles Christi oculo; vel singulari modo concurrendo cum oculo, vt etiam sine speciebus, & spiritibus animalibus videat.

ARTICVLVS VIII.

Utrum, quando in hoc Sacramento miraculosè apparet caro, vel puer, sit ibi Corpus Christi?

D. Thomas ponit hic duos modos, quibus tale quid potest apparere. Circa quæ:

52
Duplex
modus
quo Chi-
stus in S.
Eucharis-
tia appa-
ret.

Notandum Primò, & sibi intrinseca figura appareat; vt docet Gabriel lectioe 51. citans etiam Alexandrum Alessem. Nam exhibuit se aliquando ob singularem deuotionem seruorum suorum in forma pulcherrimi pueri, & permisit se amplecti, & exoculari; vt refert Paschasius lib. de Corpore Domini cap. 14. de quodam Sacerdote, qui id à Domino impetrauit; cuius precibus rursum in pristinam Sacramenti formam est immutatus. Credibile tamen est id esse perrarum; & frequentius fieri (vt docet D. Thomas) vel solã oculorũ immutatione, vel circũpositione figura humane circa Eucharistiam. Non tamen virget quod hic obijcit D. Thomas contra priorem modum, scilicet Christum nõ posse in propria specie videri, nisi in vno loco: hoc enim supra q. 75. a. 1. n. 25. retutum est; & patet ex apparitione, quæ facta est Paulo in viã, vbi Dominus Paulo in propria & intrinseca specie apparuit, etsi etiam secundum eandem speciem esset in celo.

Vt puer.

Notandum Secundò, Quando hostia videtur versa in carnem, vel species vini in Sanguinem; dupliciter id fieri potest, iuxta D. Thomã. Primò, Sine vlla intrinseca mutatione specierum, per solã immutationem oculorum, vel aeris; & tunc sine dubio manet Christi Corpus sub speciebus: quomodo credendum est fieri, quando hæc species parum durat. Secundò, Si Deus mutet ipsas species sacramentales, inductis quibusdam qualitatibus sensibilibus

53
Item du-
plex mo-
dus quo
hostia vi-
detur versi
in carnem,
vel sangui-
nem.